



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 130. Consilia de desponsanda Britanniae Ducissa cum Rege Francorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

huic eorum consilio etiam opitulabatur Romanorum Regis socordia, ob quam adeo expedita videbatur propositi executio, ut Rex si ipse Ducissæ nuptias expeteret, repulsam passurus haud timeretur, eo potissimum nomine, quod bellum finiendi medium adeo suave, tamque justum non minus Britannis quam Gallis summe exoptandum foret; unde mirabantur Galli, quod Borboniæ Ducissæ sagacitas haud citius rem tantopere proficuum excogitasset.

æcul. XV.
A.C. 1491.

§. CXXX.

Consilia de desponsanda Britannicæ Ducissa cum Rege Francorum.

Nesciebantur equidem rationum momenta, ob quæ Borbonii Ducissa, hanc occasionem neglexerit, id tamen certum est, quod nunc nil inausum intentatumque esse relinquendum arbitrata sit, ut Romanorum Regi Sponsa sua Britannicæ Ducissa eriperetur; cum vero hoc fieri posse desperaret, nisi eadem Carolo VIII. Galliarum Regi nuberet, ad id unum curas suas omnes intendit: utque propositum exequeretur, mandata dedit, in Britannia ab armis cessarent

Gaguyn. in
Carol. VIII.
& Jaligny.
Polyd. Virgil. l. 27.
Duchef. hist. Angl. lib. 19.

Sæcul. XV. A.C. 1491. rent Galli, licet eis Albretus jamjam Nannetensem urbem & arcem tradidisset; postea ad pristinas suas artes rediit, misitque in Angliam Franciscum de Lucemburgo, Carolum de Marignan, & Robertum Gaguiam, Ordinis SS. Trinitatis Generalem, qui Henricum VII. inducerent, ut cæpto proposito, quo de Britanniae Ducissa cum Carolo Regis fratre jungenda agebatur, consensu suo accederet: his tamen Legatis injunctum, ne de hoc connubio cum Rege disertis verbis tractarent, sed duntaxat Henrico exponerent, æquitatem postulare, ut Galliarum Rex omni studio impediret, ne Britanna Gallorum hosti, ipsam modo Franciam infestis armis invadenti desponsaretur, proin Henricus nullatenus sese opponeret, quominus Galliarum Rex cum Britanna Hærede, salva statuum suorum incolumitate, libere disponere posset. Ast Angliæ Rex, cum ad conciliandas Romanorum Regis nuptias sedulam contulisset operam, ejusmodi responso excepit Oratores, quo Regem Carolo bellum denunciare probe intelligerent, illudque Anglus re ipsa in Gallos movit, prout proxime perspiciemus.